



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiae Speculativae Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatae Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

XCIV. An Impedimentum Voti Dirimat Matrimonium propter Solennitatem
Jure Naturali, vel an Ecclesiastico tanctum introductam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

Thomam ex loco posterius citato P. Haunoldus juxta sententiam Ecclesie Traditioni conformiorem explicat.

CONTROVERSIA XCI.V.

IMPEDIMENTUM VOTI.

An dirimat Matrimonium propter Solennitatem Iure Naturali, vel an Ecclesiastico tantum introductam.

426. **P** Haunoldus lib. 3. Instit. Theolog. n. 319. affirmativam responsionem Juris duntaxat Ecclesiastici, merito securus est expressam declarationem Bonifacii VIII. cap. un. de Voto & Voti Redemptione. Cui ipse S. Thomas, qui pluribus annis ante Bonifacium scripsit, & solennitatem professionis Religioſæ q. 53. a. 2. supplementi, desumpti ex 4. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 3. in Corp. Juris Divini ac Naturalis esse asseruit, & 2. 2. q. 88. a. 11. etiam à Summo Pont. indispensabilem affirmavit, Viri tantisper prolongata utique subscripsisset; quia textus Pontificis non potest absque maxima violentia, & responsionis ad propositam questionem impertinentia, explicari de solennitate accidentali, cum non de hac, sed de essentiali quaestio fuerit instituta, & consequenter eidem fuerit accommodanda responsio, prout etiam factum esse ex Verbis Capituli est manifestum, quæ ita sonant: [Quod Votum debeat dici solenne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, (solennitas autem accidentalis non habet hanc efficaciam) nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod Voti solennitas NB. ex sola constitutione Ecclesie est inventa: matrimonij verò Vinculum ab ipso Ecclesie Capite rerum omnium Conditor, ipsum in Paradiso, & in statu Innocentie, instituyente, Unionem, & indissolubilitatem acceperit: præsentis declarandum duximus Oraculo Sanctionis, illud solum Votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem S. Ordinis, aut per Professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.] Ecce! quaestio proposita ab Episcopo Biterrensi, particula igitur relata ad statum quaestionis, particula Attendentes, quæ denotat attentionem ad solennitatem diremptivam Matrimonij, particula Professionem tacitam, factam scilicet absque solennitate accidentali, aperte denotant Professionem solennem solennitate substantiali; & tamen de hac loquens dicit Pontifex, quod Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesie est inventa.

427. **Q**uam Opinionem Pontificij Juris interpretes Omnes sequuntur, inquit Azor lib. 12. cap. 6. nominatim citans Innocentium Hostiensem, Archidiaconum, Joannem Andream, Abbatem, Ancharanum, Cardinalem, Francum, Felinum, & inter Theologos Scotum, Henricum, Paludanum, Cajetanum, Medinam, Angelum, Palacium, Rosellam, Astensem. Plures videri possunt apud Sanchez lib. de Matrimonio disp. 25. n. 2. quos ipse sequitur in fine n. 7. & disp. 26. n. 2. quos rursus approbat n. 4. in fine. Vnde quando cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum, dicitur: [Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, ad annexa Regula Monachali, ut adversus eam ne Summus quidem Pontifex possit licentiam indulgere.] passim intelligunt D. D. inquit Vallenſis, Canonista Celeberrimus, ibidem [remanente statu Monachali, seu Religioso, cui repugnat habere aliquid proprium, prout eo nomine significatur Dominium, & usus independens ab arbitrio superioris] Itaque P. Haunoldus rursus laudabiliter, & juxta V. Congregationis nostræ Gen. Decret. 41. Reg. 1. de Solennitate Votorum expressam Constitutionem, (quod Decretum Adversarius in ult. theſi non rectè Canonis nomine allegavit, sicut ex Tridentino; ut rem noto exemplo declarem, non rectè Canonem pro Cap. citaret) Doctrinam Canonicam prætulit doctrinæ Angelici Doctoris, ætate illius posteriorem, alioquin etiam à S. S. Canonum observatissimo Magistro amplexandam.

CONTROVERSIA XCV.

CONCLUSIO.

An hac ab Adversario ex suis Theſibus rectè sit deducta.

428. **A**dversarius ita concludit. [Has Theſes contra se Haunoldus approbavit eo ipso, quod postquam lib. 3. Theol. specul. n. 113. dixerat: Motiva Credibilitatis non habere meram rationem Autoritatis humane, sed esse revera testificationem & locutionem Divinam: deinde n. 121. hæc subdiderit formalia: Sed quid multis opus est autoritatibus? unus instar omnium sit Angelicus Thomas.] Verum, huic Conclusioni deest præcipua Præmissa, nempe, quod hæc Theſes sint Theſes & Doctrina Angelici Thomæ: si enim hujus moderatissimi stylum, & modum, plerumque, tacito nomine ac modestissime refutandi Doctores catholicos, nullam acerbam nota-

E e x

605